



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 3. De ortu huius maris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

1. *Lybicum* nominari, vnde & à Luitprando Ticinenfi *Africanum* appellatur. v. *Mare Magnum* tam apud Sacros quàm Prophanos auctores vocatur. *Mare Tharsis* ei proprium non est, sed Oceano quoque conceditur in sacris Codicibus. vii. Denique Solinus cap. 26. hoc quoque *Mare Oceanum* appellauit.

CONIUNCTIO vtrum fuerit à initio mundi videntur plerique veterum negasse. Diodorus Sic. lib. 5. cap. 2. Strabo lib. 2. Seneca lib. 6. Natur. quæst. cap. 29. Plinius lib. 3. in Procemio, & lib. 6. cap. 1. Solinus cap. 26. vt Poëtas omittam. Eratosthenes apud Strabonem duas proponit rationes quibus id conficiat, quas idem Strabo irridet non confutat, prima erat de diuersitate soli, altera de tæniâ sub mari latente. Quomodo autem hæc duo maria, olim separata, coniuncta sint, duæ reperiuntur antiquorum opiniones. Prima est Mythologorum, qui hoc affingunt Herculi, quibus & subscribit Diodorus Sic. lib. 5. cap. 2. Altera id tribuit Oceani æstibus, cuius auctores Seneca lib. 6. Nat. quæst. cap. 29. Plinius lib. 6. cap. 1. Eratosthenes apud Strabonem modum distinctiùs explicat cum ait, Fluios priùs stagnantes, deinde mari receptos, loca hæc detexisse quæ priùs *Palustria* erant *πυλάδα*. Faucet & huic opinioni, qui apud Marianam lib. 1. Rerum Hisp. dicunt, montes illos quos *Columnas Herculis* vocant, aggere comportato excitatos esse.

ORTVS Mediterranei maris à veteribus in controuersiam reuocatus est, inquit Solinus cap. 22. *Aliqui* ex Oceano prodire putauerunt, inter quos numerabis auctorem lib. de mundo. *Alij* ex Ponto dixerunt existere, quia ab Euxino æstus profluus nunquam recipitur, quod argumentum non inane Solinus vocat, cuiusque meminit Plinius lib. 4. Et nos aliàs hanc quæstionem iterum expendemus. In præsentia statuimus, à primo rerum molitore sic esse fusa maria, vt aliqua terram circumluerent, alia eandem subirent.

DIVISIO quoque illius maris non vna proponitur ab antiquis,

Prima est Strabonis lib. 1. in *Dextrum* latus & *Sinistrum*; hoc *Europam*, illud *Africam* putat alluere.

Secunda est Plinij, Solini, & aliorum in quatuor sinus. *Primus* à freto Gaditano ad Siciliam extenditur: *Secundus* à freto Siciliae, ad montes Acroceraunios: *Tertius* hinc ad Hellespontum: *Quar-*